



TEXTUS MUSICUS

PRO

TRAGŒDIA

AUTUMNALI,

ANNO M. DCCXLII.

AUGUSTÆ VINDELICORUM

EXHIBITA.



PROLOGUS.

VEra Religio, ringente Mahometis Genio, Amorem Paternum edocet, Fidem rebus omnibus præhabendam.

PERSONÆ.


Genius Religionis. Amor Paternus. Genius Mahometis.

Amor Paternus.

BEne est! paterno in pectore
Justi ardent amoris flammula.
Amat Pater Filium,
Leontares Eucherium.
Constantem ego flammam nutrio,
Et meos per Comites
Novum igni pabulum subjicio.

A R I A.

QUàm merito Natura
Hæc Patri scripsit Jura,
Ut Prolem diligit;
Nam quisquis amat Natum,
A se in lucem datum,
Se ipsum adamat.



Æquali sic tenore
 Blanditur Patris more
 Leoleunculis:
 Exuto quin furore
 Fit Genitor amore
 Panthera catulis,

Genius Mahometis. Quæ hæc incendia?
Amor Paternus. Paterni sunt amoris indicia,
 Quo Leontares in Eucherium conflagrat.
Genius Mahometis. Leontares Eucherium verè si amat,
 Amoris novum, fac, specimen præbeat.
Amor Paternus. Præbebit, ne dubita:
 Tu, quod velis, significa.
Genius Mahometis. Id volo, ne Pater invideat,
 Magnus dum Mahomet
 Natum ad grandia destinat.

A R I A.

QUos fors honores præparat,
 Hos decet amplexari:
 Dum Princeps donis cumulat,
 Non fas est reluctari.
 Sunt regii favores,
 Tenelli velut flores:
 Nî cauto tractas pollice,
 Marcescunt brevi tempore,
 Nec possunt reparari.

Amor Paternus. Hæc Mahomet honorum insignia,
 Favores hos Nato destinat?
Genius Mahometis. Destinat, accipere nî Pater renuat.
Amor Paternus. Pater non renuit,
 Natum quia diligit.
Genius Religionis. Quæ vos inter commercia?
 Quid ista sibi volunt insignia?
Genius Mahometis. Hæc Mahomet per me offert Eucherio.
Genius Religionis. Mahomet Eucherio?
Amor Paternus. Magnus Imperator
 Dilecto Leontaris Filio.
Genius Religionis. Et tu acceptas?
Amor Paternus. Quid dubitas?
Genius Religionis. Sic Natum adamas?

Amor Paternus. Nō amarem, haud acceptarem.
Genius Religionis. O amor præposterus!
 O furor insanus!
 Procul hi sint honores!
 Hæc procul insignia!
Genius Mahometis. Dum respuis,
 Tormenta sequentur varia.
Amor Paternus. Heu! Natum Leontares tormentis objiciat!
 Et omnem Patris affectum exuat!
Genius Religionis. Sic amor Religionis postulat.
 En! ego insignia
 Prioribus substituo alia.
Amor Paternus. O quàm lugubris, quàm inamœna,
 Quàm feralis hæc Scena!
Genius Religionis. Veræ sed gloriæ plena . . .
 His antea gladiis
 Leontares caput subjiciet:
 Hoc mortem ex poculo Eucherius hauriet,
 Quàm Mahometis ut annuat desiderio,
 Et Fidem exponant periculo.

A R I A.

SI Vita, & Religio,
 Sunt pari in naufragio,
 Non te amor vitæ tangat,
 Cura sed Salutis angat;
 Hinc res nulla moveat,
 Fidem ut mens deserat.
 Se Patrem verè comprobat,
 Qui Natum Cœlo immolat.
 Dum tormenta non absterrent,
 Lethi dum nec minæ terrent,
 Amor regnat patrius,
 Non affectus spurius.



CHORUS I.

Lucta in Abrahami animo, dum Filium suum Isaac
DEO immolare parat.

PERSONÆ.

Abraham. *Isaac.*

Abraham.

Ecce! nunc montem attigimus,
Futuro quem Sacrificio
Designavit Dominus.

Jam vos recedite: *
Ligna holocausti Isaaco,
Mihi ignem concedite,

* *Alloquitur Famulos.*

Isaac.

Peracto Sacrificio revertemur ad vos.
O Pater! quid autem nos?
Quam holocausti mactabimus hostiam?
An Arietem, vel Oviculam?

Abraham.

O Fili! de hoc providebit Dominus.
Tu interim ascende superius:

Aram in monte exstrue,
Et ligna desuper compone.

Isaac.

Mox tua, * ð Pater! imperia faxo. *

* *Ascendit in montem.*

Abraham.

Et ego jam solus
Mœrori habenas laxo.

A R I A.

O Quam magni sese luctus
Hoc in corde erigunt!
Mœsti, qui assurgunt, fluctus
Mentem vix non obruunt.

Natum Pater immolabo

Meâ Ipse dexterâ?

Heu! non possum, non mactabo:

Ego cadam victima.

Ah mi DEUS! immolabo: *

* *Redit Isaac ex monte.*

Promptus en! est Spiritus;

Sed dum ensem coruscabo,

Quam horrebit animus!

Isaac.

Mi Pater! ego mactabo victimam,
Si tuus adeo abhorret animus.

Abraham.

Abraham.

Non te, ô Fili!
Sed me hoc facere jussit Dominus.
Isaac. Cur ergo moraris exequi,
Si agnoscis mandatnm Domini?

A R I A.

Q Uod Cœlum postulat,
Aut nuru indicat,
Hoc, sæpe dixeras,
Mi Nate facias:
Jam mutas te?
Vel me in placitam
Si vellet victimam.
Moras haud neceterem,
Collum objicerem:
En! feri me.

Abraham.

Fili! quid loqueris?
Fieri tu velles victima?

Isaac.

Fierem, si Numinis postularent imperia.

Abraham.

Ah Fili! Fili!

Sed in montem jam ascendimus,
Tu seniles ô DEUS! firma gressus.

Isaac.

Pater! si fessus ex itinere,
Montem non vales conscendere,
His Nati innitere humeris:
Supplebunt Astra,
Quod deest roboris.

Abraham.

Ô Cœlum! qualem Abrahamo dedisti Filium?
Et hunc ex Sara heu! unicum?

Isaac.

Pater! en montis attingimus verticem.
Ast ubi pro holocausto-
Inveniemus Arietem?

Abraham.

Fili! iterum quaro:
Si DEUS te in victimam posceret?
- - - Si te immolarem?

Isaac.

Promptius ô Pater! hoc collum nudarem,
Quam tua ictum manus infligeret.

Abraham.

Ergo tentabo,
Et manus hoc fune ligabo.

Isaac.

En! ambas porrigo: Constringe,
Et veram me esse victimam finge.

Abraham.

Isaac.

Necdum trepidas?

Necdum ô Pater!

Si, ut caderem, DEI foret voluntas.

Ah! quàm me vel in luctu recreas!

Audi ergo ô Fili mi!

Supremi mandata Domini.

Abraham.

A R I A à D U E T O.

Abraham,

IN te hunc stringo gladium,

Sic DEUS imperat:

Et tuum peto jugulum,

Nî manus renuat.

Isaac.

In me hunc stringe gladium,

Si DEUS imperat,

Et meum pete jugulum:

Nec manus renuat.

Abraham.

Sed heu! repugnat animus,

Nec vires suppetunt!

Isaac.

Ah! non repugnet animus;

Sat vires suppetunt.

Attolle rursus dexteram:

Te Cœlum adjuvet!

Me Natum macta victimam,

Cùm DEUS postulet.


Abraham.

Attollo rursus dexteram:

Me Cœlum adjuvet!

Te Natum macto victimam,

Cùm DEUS postulet.



CHO.

CHORUS II.

Jephte DEO Filiam suam sacrificat.

PERSONÆ.

Jephte. Jephthas. Comites.

Jephte.

Ad est destinata Sacrificio hora.
Jam nulla in me mora,
Quò minus, quæ debeo, exequar;
Diversas licet in partes trahar.
Hinc Filia cœdem
Amor Religionis imperat;
Illinc ab ictu manum
Affectus Parentis revocat.
- - - Sed vincat, qui dignior victoriâ,
Et Nata Cœlo occumbat victima.

A R I A.

Sit: Patris reclamet Natura,
Et sua me citet ad Jura:
Non audio vocem citantis,
Supremi in Axe Tonantis
Tribunal superius est.
Hoc jubet, ut immolem Natam,
Et victimam petit ter gratam;
Hinc Patris depono amorem,
Dum Juris secundum rigorem
Parendum huic Judici est.

Jephthas.

Pater! en adest Jephthia,
Parata holocausti hostia.
Non jam vitæ inducias exigo:
Cervicem ensi nunc sponte offero,

Jephte.

Sic places Filia!
Sic digna DEO es victima.

Jephthas.

Id solum ô Pater!
Supremæ locô gratiæ
Tuæ liceat rogare Jephthiæ,
Virgineum, quem servavi, ut florem
Ultimis te coram lachrymis deplem.

ARIA.

A R I A.

Qui in Cælo regnas DEUS,
Tu jam meus
Obsecro, ut testis sis,
Tumulo quàm innocentem
Condam mentem,
Altior cùm urget vis.
At dum primo vitæ flore,
Spe, honore,
Quia & aurâ privo me,
Fac, ô DEUS! hoc cruore,
Velut rore,
Palmas Patris crescere.

Jephthæ.

Et tanta indoles pereat?
Pereat, quia Cœlum.
Tam nobilem sibi hostiam vindicat.
Præstat me dici piè crudelem,
Quàm Numini minùs fidelem.
Vos, dum hoc perago Sacrificium,
Morienti accipite epicedium.

C H O R U S.

Chara vale Jephthia!
Vale Princeps optima!
Ensi collum inclinabis,
Vitam Cœlo immolabis.
Chara vale Jephthia!
Vale Princeps optima.
Vale!

Omnia ad Majorem DEI Gloriam.

